



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 101. De itinere versus Neapolim consultatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

suo quoque calculo comprobata fuit, re-
 liquis Senatoribus ne hiscere quidem au-
 dentibus; sicque Ludovicus ambitionem
 suam ad optatum finem perduxit, qui ta-
 men fidelitatis Sacramentum a suis re-
 cipere nonnihil per simulationem relu-
 ctabatur. Cum vero eo temporis mo-
 mento, quo promiserat, ad Regem rever-
 sus non esset, hæc cunctatio haud mo-
 dice conceptam de ejusdem integritate
 suspicionem auxit, animisque cunctorum
 ea infedit opinio, Ludovicum aliena ope
 haud ultra indigum, abs dubio Gallo-
 rum studia communi Italiæ utilitati om-
 nino posthabiturum, imo etiam, ut haud
 temere credebatur, ad extremum Galli-
 ci exercitus exitium eidem transitum,
 viasque interclusurum: Unde, num ul-
 terius progredi ac majora tentare con-
 sultum foret, convocato Regis Senatu
 deliberatum est, plurimorum suffragiis
 reditum suadentibus.

§. CI.

*De itinere versus Neapolin
 consultatum.*

Attamen cum Ludovicus reverteretur,
 Rex ejus adventu permotus, cum
 exercitu suo Neapolin versus progredi sta-
 tuit, quod tamen iter an arripiendum esset,
 non una omnium erat sententia. Equi-

P p 3

dem

Sæcul. XV.
 A.C. 1494.

Sæcul. XV.
A.C. 1494.

dem ceteris expeditior via videbatur, quæ per Romandiolam, & Marchiam Anconitanam ducebat in Aprutii Provinciam, certa quæ spes affulgebat, Ferdinandi Calabriæ Ducis exercitum facili negotio inde repellendum, eo quod Gallorum copiis longe inferior nullatenus transitum eis prohibiturus esset. Nihilominus superandi terrebant montes Alpini, nivibus dense cadentibus vix non impervii; igitur in aliam, eamque longe magis difficilem viam sese committere sancitum est, potissimum eo consilio, quod classis Gallica in Hetruriæ portibus hæreret, ac Florentiam petere decretum fuisset, ut Petrus de Medicis, ac Pontifex præpediri possent, ne Alphonso suppetias ferrent, aut copias in regni Neapolitani Metropolim immitterent. Captato igitur hoc consilio, Rex die vigesima tertia Octobris Placentia profectus, biduo post ad Forum-novum, inde vero die vigesima octava ejusdem Mensis ad Pontem-tremulum pervenit, nec ulla urbs armorum suorum rapiditati obfistebat, sola excepta Fivisana civitate, quæ tamen brevi capta, victoribus in prædam cessit. Posthæc primum agmen, cui Gilbertus Mompenserius Princeps regio sanguine ortus imperabat, plurimum augebatur Helvetiis, qui Genuæ hærebant, cum

cum belli tormentorum apparatu accedentibus. Sæcul. XV.
A C. 1494.

§. CII.

*Florentini ob Seresanelum a Rege
obsessum perterriti.*

Capta Fivisana urbe Gallorum progressibus obstabat Seresanelum, quæ Comm. l. 7.
c. 7. p. 34.
arx est inde haud longe distans, eaque munitissima, ac petræ imposita. Hanc a tergo inimicam relinquere, satis periculosum erat: Ergo eam obsidione premunt Galli, quam etiam Paulo Ursino, qui auxilia urbi ferebat, devicto, præter oranium expectationem armis suis subjiciunt. Arcis expugnatio tanto terrore Florentinorum animos perstrinxit, ut Nobiles æque, ac Cives, eoquod Commercium cum Lugdunensibus interceptum vererentur, ac Genuenses eodem fato oppressos iri haud ignari essent, una omnes in Petrum Medicæum insurgerent, caussati, se ab eo ut foedus cum Carolo VIII. dissolverent, inductos fuisse, nunc vero aut vitæ vel saltem libertatis perdendæ periculo, si Rex Florentiam invaderet, expositos. Petrus in hoc rerum articulo nullam sibi opem a Neapolitano exercitu polliceri poterat, cum ille ad propria adversus Albigni vim tuenda operosius intentus esset; ergo inter